

sunt causæ, & non morborum genera; quia non nocent operationibus nisi cum qualitate. Et si dicas auferatur qualitas. Respondeo non potest hoc fieri stante corruptione: cum dicis quædam venena necant tota substantia, & quædam qualitate; dico quod Galenus intelligit de venenis quæ sola qualitate occidunt, & quæ qualitate cum substantia coniuncta. Si dicas qualitas illa non occidit, dico quod qualitas illa occidit à corruptione directa, sicut dens canis rabidi occidit, quia venenum non infigitur nisi per dentem; & sicut scorpione phasellus emissus excutit oculum, ita parua qualitas præter naturam à corruptione substantiæ impressa occidit, & etiam breui. Ideo quoque pestis ob nimium frigus extinguitur, & quoque ob nimium calorem, quia licet causa maneat quæ est corruptio, tollitur tamen qualitas quæ est instrumentum. Vnde fit vt pestis quæ nimio calore desinit, nunquam reuertatur finitâ putredinis causa; quæ verò hyeme desinit, vere reuertitur quia solum instrumentum sublatum est. Et si dicas qualitas præcedit corruptionem. Respondeo quod non semper eadem qualitas fuit causa corruptionis. Et quando istud contigerit, non est inconueniens quod similis qualitas producat post ab ipsa corruptione, cuius medio corrumpat non corrupta sicut à consimili qualitate genita fuit. Igitur causæ morborum plurimæ erunt ac longe plures, quam quis existimet; item species illorum, genera tamen tantum tria erunt. Sed adhuc supersunt tria dubia, primum quia qualitas quæ occidit putat calor in peste; vel sola agit, vel iuncta qualitati corruptionis; si primum non occidit; si secundum, igitur illa alia qualitas erit morbus. Aliud dubium est quia dolor per se lædit operationes, igitur erit morbus. Sed ad hoc faciliè responderetur, nam vt sit morbus oportet vt sit affectus, libro de differentiis symptomatum; sed dolor cum semper fiat non est affectus sed passio. Tertium dubium est circa demonstrationem: Nam secundo artis curatiuæ dantur actiones quæ in membro sunt simili, vt ambulandi vis licet sit in crure, principaliter tamen est in neruo; actio autem formam in simili parte desiderat, sicut in instrumento. Respondeo quod principium actionis tantum in simili membro, non actio esse potest. Principium autem actionis est à temperie. Ad primū dico quod illa qualitas habet modū annexum ex corruptione, vt pote tenuitatem, vel horribilitatem, vel etiam putredinem, vel corruptionem, sed quæ posterius imprimatur qualitate non simul, idè est modus & non agens per se; igitur corruptionis imago non erit morbus, sed modus morbi; velut in gustu excitans vomitum non

est sapor, non tamen potest excitare sine sapore.

Notandum circa causas primo morborum vt habetur à Galeno in commentario de humoribus; humores generant animi affectus, atque animi affectus humores: quæ sententia est expressa in libro etiam de multitudine. Et fuit Principis in primo libro. Et author libelli de præcantatione & colli suspensione, narrat quod cum quidam sibi persuassisset se esse ligatum (vt dicunt) atque ob id ad venerem impotens redderetur: lecto libro Cleopatrx vbi dicitur quod venefica hæc soluuntur si quis vngatur felle corui cum oleo sesamino, inunctus liberatus est. Cum igitur spiritus amoueat à propria functione, imaginatio refrigerat locum, aut mouendo sanguinem excalefacit; igitur in fascinatione, & amore, ac huiuscemodi morbus est intemperies: sed qui existimantur morbi sunt illorum causæ. Docet autem ibi de smaragdo suspendendo collo aduersus morbum comitialem: ideoque dicit solere appendi nobilibus pueris. Et quod sarda somnia mala prohibeat. Simili ratione Hippocrates aduersus eos qui dicebant comitiale morbum à Deo procedere quod causa esset ignota, & quod præcantationibus curaretur? Dicebat multi morbi habent causas ignotas vt qui certis redeunt circuitibus, & tamen non sunt à Deo. Præcantationes etiam illæ sunt cum abstinentia ciborum, sed Deus talibus auxiliis non indiget. Frustrantur etiam curâ, sed Deus non potest frustrari. Sunt etiam qui curant impij & scelesti, sed Deus talibus non fauet. Ipsi etiam se dicunt multa posse, non igitur Deorum est potestas, sed hominum. Deinde subiungit biliosis non accidit hic morbus, pituitosis accidit; non igitur ex Deo. Capris etiam & ouibus quibus hic morbus contingere solet, cerebrum discisso osse & fœtens & madens velut sudore quodam inuenitur. Sunt igitur animi affectus dum corpus immutant causæ morborum, non morbi, nec fascinationes. Sic amor heroicus auertendo spiritus à coctione & siccitate, morbum facit vigilias inducendo, inde etiam cruditates, atque eo modo tabefacit hominem & languere facit. Vltimò dubitatur quia debilitas virtutis cum fuerit præter naturam vitians operationes nam datur triplex earum vitium, inter quæ est diminutio, tertio de symptomatum causis, videbitur esse morbi quartum genus: Respondeo quod oportebit adesse causam si facultas maneat & illa erit morbus: quod si facultas sit imminuta, tunc operatio non propriè dicitur læsa sed facultas. Quod si contendas, dicam esse frigidam intemperiem quæ loco caloris nariui inducta est; nam si functio perit, vel membrum, vel calorem perisse necesse est.